

urbis Rome. Ego Crasimir Rex Dalmatinorum et Croatorum, insimul meis cum principibus, justitiam Arbensis Ecclesie retinentes (sic) et eam in protectionem nostram suscipientes, volumus et perpetuo Jure assencientes firmamus, ut dicta Ecclesia habeat suas parochias, scilicet Juppam, que fuit sub alpibus, a castro latine murula uocitato, sclauonice stenizza, usque ad flumen copriue, et ecclesiam sancti Georgy in Ruina (Luc. et Farl. Vazuna) Clissam suis cum pertinencijs, tamen (Luc. et Farl. tantum) retinentes de jure suo paruas (Luc. et Farl. paucas) villas Pagi, Peçani, Murouulani, Vlasici, quas et si pro malo habet nouo dedimus episcopo nonensi, Juppam Liche, Juppam Buççani (Bužani) et Borachi (Luc. et Farl. Bocadri). Et hoc statutum uolumus in perpetuum inuiolabile manere, sicut semper a maioribus natu didicimus, dicte iam ecclesie inuiolabile prestitisse. Quicumque autem nostris de successoribus hoc priuilegium contemtare (perturbare) et ei vim referre aliquo molimine attemptauerit, nostro iudicio pellatur e Regno. De inferioribus sancimus componere centum libras auri, Regali curie medietatem, et silicet (Luc. et Farl. sanctae) predictae arbensi ecclesie etiam (Luc. et Farl. aliam) medietatem, ad roborem et vigorem, nostreque cartule donationis assentionisque Justitie mitram, nominis nostri impressis litteris, prelibate donamus ecclesie, et nostri sigilli impressione firmando roboramus. Indictione VIII. Datum est hoc priuilegium arbensi Ecclesie in castro Belgrado per manum Joannis diaconi et domini Regis notarij, coram comuni curia.

Copia antiqua in mea collectione MSC. Farlati: Illyricum Sacrum T. V. p. 229.

IX.

Anno 1076. Mense Octobri. Salonae.

Demetrius Svinimir, unanimi totius Cleri populi que consensu Rex Croatorum Dalmatinorumque electus, in Salonitana Basilica S. Petri coronatur, Pontifici romano regnum suum deuovet, Sedique Apostolicae Monasterium Vranae donat.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, anno Dominicae incarnationis millesimo septuagesimo sexto, Indictione decima quarta, mense Octobris. Ego Demetrius, qui et Svinimir nuncupor, Dei gratia Croatiae Dalmatiaeque Dux, a te Domino Gebizo, ex apostolicae sedis legatione, Domini nostri Papae Gregorii potestatem obtinente, in Salonitana Basilica Sancti Petri, synodali et concordia totius Cleri et populi electione, de Croatorum Dalmatinorumque regni regimine, per vexillum, ense, sceptrum et coronam inuestitus, atque constitutus rex, tibi deuoueo, spondeo, et polliceor, me incommutabiliter complecturum omnia, quae mihi tua reuerenda iniungit Sanctitas, videlicet, in omnibus, et per omnia Apo-